

Ewangelie

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

15

I. N. J.
DISPUTATIO INAUGURALIS
AD
L. FRATER à FRATRE XXXIX.
DE CONDICT. INDEB.

AUCTORITATE NOBILISS. JCTORUM
IN ACADEMIA AD VIADRUM

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. JOACHIMO DECHERO

JUD. COD. ET CONSVET. FEUD. PROF. PUBL.
CIVITATIS CONSULE
FACULTATIS P. T. DECANO

DNO. PATRONO ET PRÆCEPTORE
SUO COLENDO

PRO CONSEQVENDA

IN U. J. LICENTIA DOCTORALI
DNN. PROFESS. ET CANDIDAT. EXAMINI

P. P.
AD D. X. NOVEMB.
H. L. Q. C.

A

ROMANO TELLERO LIPS.
PHIL. MAG.

Literis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typog. 1666.

REVERENDISS. ADMINISTRATORIS
MAGDEBURGENSIS
SECRETARIO INTIMÆ ADMISSIONIS
VIRO CLARISSIMO
DN. DAVID ELIAE HEIDENREICH
AMICO VETERI OPTIMO
QVI PRIMUS FUIT, QUEM IN LUDO PUEB
COGNOVIT ET AMARE COEPIT
CUJUS AMICITIAM INDE AD HANC USQUE ÆTATEM
SINE ULLA INTERRUPTIONE POSSIDET
QVO SOCIO IN HIS IPSIS STUDIIS USUS EST
SUMMA CUM VOLUPTATE, SUMMO CUM FRUCTU
INAUGURALEM SUAM CONSECRATAM ESSE VULT.

ROMANUS TELLER.

NE verò Te offendat, Charissime, unius Legis terminis co-
érceri Inauguralem meam. Erat quidem animus, totam mate-
riam Naturalium Obligationum plenè & ex professō pertracta-
re. Sed morbo & turbis in simpulō commotis conflictatus u-
nam ex omni illâ materiâ particulam, cum hoc ventum esset,
nolens volens selegi. Cujuſ me consiliū tantò minus pœnitet,
quanto lex ista cæteris præstat, est quippe, dicente Glossâ, re
& famâ difficultas ac subtilis, si qua alia in totô Corpore juris.
Quare nec mitum, tot egregios Interpretes dignam, in quam
diligentius & quæstius commentarentur, judicâsse. Hos e-
go duces sequar, sed tamen nec fraudi mihi sit, quod eorum no-
mina scripto meo non inferui. Temporis & instituti ratio non
admisit. Cæterum si quis exigeret, lubentissimus profiterer,
me nihil dixisse, quod non dictum sit prius. Vale & me a-
mantem, ut facis, ama. Dabam ad Viadrum d. 8. Novembr.
A. C. 1666.

I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS
AD

L. FRATER A FRATRE XXXIIX.
DE CONDUCT. INDEB.

Ex hæc delumpta est ex S. Cæcilii Africani Librō nonò Quæstionum, & in quatuor partes distincta. Sic autem circa eam opera nostra versabitur, prīmò præmittentur ea, quibus sensus reddatur evidentior, mox cum ipsâ explicatione confirmatio subjungetur, tum objectiones afferam & diluam, denique corollaria nonnulla attexam.

PRÆMISSA.

S. 1. Inter patrem & filium, qui in potestate est, non nisi naturalis obligatio consistit, idq; ex è ratione civilli, quâ pater & filius pro unâ personâ reputantur, §. 4. & 12. J. de inut. sfp. l. ult. C. de impub. subst. Ut igitur nemo sibi ipse obligatur, aut secum ipse potest agere, l. 16. de furt. ita nec pater & filius jure civili sibi mutuò obligantur, §. 6. J. de in. sfp. aut in judiciò mutuò experiuntur, §. 12. J. de obl. ex det.

S. 2. Eadem ratio facit, ut nec alia obligatio inter fratres, qui in potestate sunt, consistat. Sed inter filium fam. & extraneum obligatio civilis est, l. 39. de O. & A. Hic enim ratio identitatis cessat, & filius fam. in civitate caput habere intelligitur.

A 2

§. 3. Con-

§. 3. Condictio indebiti locum habet, si ab ignorante, non si à sciente indebirum solutum est, *l. i. l. 28. de cond. ind.* quia qui sciens solvit, donasse existimatur, *l. 47. de oper. lib. add. l. 53. de R. J.* Sed num ignorantia tantum facti, an etiam juris pro sit, dissentient veteres & neoterici. Nos utramq; regulariter prodesse cum veteribus statuimus per *l. 26. §. 3. b. t. l. 7. & 8. de ign. j. & f.*

§. 4. Peculium statim ac filius in potestate esse desinit, exspirat. Mortuò igitur patre statim extinguitur, & profectitum quidem (olim etiam adventitium quodcunq; sede imperii nondum translatā Constantinopolin) cum hæreditate patris communicatur. Hinc sit, ut postmodum id peculium non conferatur, sed dividatur, *l. 13. C. fam. erc. l. 11. C. de collat.*

§. 5. Ex contractu filii fam. duplex actio creditori nascitur, Civilis & Prætoria de peculiō. Civilis datur adversus ipsum filium, qui contraxit, in solidum, *l. 57. de judic. l. 39. de O. & A.* Prætoria de peculiō datur adversus patrem haec tenus, quatenus est in peculiō, *§. 36. J. de att.*

§. 6. Peculiō extincto non statim extinguitur actio de peculiō, hæc enim annum adhuc durat, *t. t. qu. act. de pec. ann.* Et datur non tantum adversus patrem, filiō emancipatō, sed etiam adversus hæredes & successores patris, *l. i. §. 4. d. t. sc. de eō, quod ad eorum quemq; pervenit.*

§. 7. Filius post mortem patris conventus in solidum quidem condemnatur, sed quatuor tamen modis ei consulitur. 1. Non antè solvere tenetur, quām si ei creditor cesserit actionem de peculiō adversus cohæredes, *l. 18. §. 5. fam. erc.* 2. Si solidum solverit, judiciō familia erciscundæ tantum recipit à cohæredibus, quantum ab eis creditor actione de peculiō consequi potuisset, *b. l. 38. pr. d. l. 18. §. 5. fam. erc.* 3. Si condemnatus sit, sed nondum solverit, & inter

inter cohæredes familiæ erescundæ agatur, officiò judicis præcipit peculum, l. 20. §. 1. d. t. sc. pro modò debiti, l. 13. C. cod. 4. Si nondum condemnatus fuerit, cohæredes ca vere debent eum defensumiri adversus creditorem peculiarem, pro modò ejus, quod euiq; obvenit, b. l. pr.

§. 8. In actione de peculiò computatio & deductio intervenit. Jus deductionis competit patri, ut scil. ante quam creditoribus peculum tradat, deducat, quod sibi debetur. Computatio sit à creditoribus, ejus sc. quod pater filio debuit.

EXPLICATIO.

§. 1. PRincipium difficultate præ cæteris laborat, ideo longiori expositioni immorandum est. Summa autem hæc est, ut ostendar Africanus, an & quid frater ex eō, quod fratri ex mutuō vivente patre contracto debuit, & mortuō patre solvit, possit repetere.

§. 2. Dividi potest in quinq; membra, 1. quæstio proponitur, 2. responsio cum dupli distinctione, 3. secunda distinctionis ratio prima, 4. hujus rationis ratio, 5. secunda distinctionis ratio secunda.

§. 3. Casus talis proponitur: Mævius duos filios in potestate habuit, Primum & Secundum. Primus 100. ex peculiò suò paganò veletiam ex pecuniâ patris, quam habebat, mutuavit Secundo. Pater mortuus est. Secundus 100, quæ olim mutuō acceperat à fratre, ei solvit. Vult ea repetere. An possit, quæritur?

§. 4. Ratio dubitandi hæc est, quia repetitio soluti locum non invenit, ubi vel naturale debitum intercessit, l. 13. pr. l. 26. §. 12. b. t. l. 10. de O. & 1. Atqui secundus hæc centum naturaliter debuit fratri, à quo accepit, vel tanquam creditori vel tanquam creditoris patris scil. heredi.

DISPUT. Inauguralis

§. 5. Verum Africanus non simpliciter repetitionem denegandam esse contendit, atq; adeò duplarem distinctionem adhibendam respondit. Primo enim videndum esse ait, quā parte frater debitor patri heres extiterit, & quā parte frater creditor. Pro illā parte repetitionem esse utiq;, i. e. extra omne dubium. Itaque Secundus dimidium ejus, quod solvit, repetet, putās o. quia pro dimidiā parte heres extitisse patri intelligitur.

§. 6. Ratio est, quia Obligatio, quam acquisivit frater creditor, patri acquisita fuit. Dum igitur Secundus debitor succedit patri pro dimidiā parte, pro eā parte obligatio confusione sublata est. Duo sunt hīc probanda, 1. naturalem obligationem per fratrem Primum acquisitam fuisse patri, 2. naturalem Obligationem patri acquisitam, confusione sublatam esse, dum frater debitor extitit heres.

§. 7. Primum probatur ex generali definitione *l. 1. pr. si quis à par. man. filium fam. quodcumque sibi acquirat, ejus emolumentum non sibi sed patri querere.* Idque confessim, ut ne momento quidem subsistat in personā filii, *l. 79. do A. vel O. H.* Deinde de obligationibus in specie idem definitur generaliter *inpr. f. per quas. pers. obl. acquir. à quā regula nullibi naturalis obligatio excipitur.* Imo naturalem obligationem facilius patri acquiri, quām civilem, apparere videtur *ex l. 53. de A. R. D.* Denique servi obligationem naturalem esse constat, *l. 14. de O. & A.* Sed ea tamen domino acquiritur *l. 41. de Pecul. §. 1. f. de stip. serv. pr. f. per qv. pers. acquir.* Quod autem in servo verum est, verum etiam in filios fam. arg. pr. f. quod cum eo.

§. 8. Probandum etiam est alterum, nimirum obligationem patri acquisitam, aditione hereditatis confusam & sublatam esse, pro parte scil. quā frater debitor patri extitit heres. Sciendum igitur est, naturalem obligationem

nem non tantum tolli solutione, jurejurandō & pactō, l. 95.
§. 4. de solut. sed etiam confusione, quā hereditatis acquisitione contingit. Quod enim de obligationibus indefinitē dicitur in l. 71. de fidej. l. 75. de solut. l. 7. C. de pact. eas confusione interire, quām primū debitor creditori heres extiterit, id etiam ad naturales pertinere existimandum est, quia nullihi exceptio reperitur. Sed & de naturalibus hoc ipsum satis disertē traditur in l. 95. §. 2. de solut. l. 21. §. 3. de fidej. Scil. quā ratio pro civilibus militat, eadem & pro naturalibus militare intelligitur. Ad hanc hereditatis tollitur obligatio, quia est loco solutionis & compensationis, l. 33. solut. matr. l. 50. de fidej. Naturalem autem obligationem numeratione & compensatione quoque tolli certum est, l. 95. §. 4. de solut. l. 6. de compens.

§. 9. Patet arbitror, quod frater debitor dimidiā soluti possit repetere. Ex illis ipsis autem, quae jam dicta sunt, efficitur quoque, alterius dimidiā repetitionem admodum dubiam, imo regulariter nullam esse. Quod enim patri debebatur, post mortem ejus heredi debetur, pro ea scil. parte, quā heres successit. Frater Primus pro dimidiā parte heres extitit, ergo pro ea parte obligationem patris acquisivit, & quantum ad illam partem suum à fratre Secundo recepit, qui autem suum recepit, ab eo nulla est repetitio, l. 44. b. t.

§. 10. Sequitur ut alteram distinctionem videamus, quam in præsenti casu adhibendam esse voluit Ictus. Regulariter dictum est pro ea parte, qua frater Primus heres extitit patri, Secundum repetere solutum non posse. Vindendum tamen est, an non ad fratrem creditorem ex peculiō fratri debitoris tantum pervenerit in divisione hereditatis paternæ, quantum ad eum de debitō fratri ex hereditate pertinebat. Tunc enim repetitio pro alterā quoque dimi.

dimidiā locum habebit, & totum, quod solutum est, fratri condicetur. Finge in peculiō Secundi fuisse 100. Hæc mortuō patre rebus hereditariis commixta sunt, & in divisione pervenerunt 50. ad Primum. Ethoc modò Primus tantum ex peculio Secundi consecutus est, quantum ad eum de debitō fratrī pertinebat. Secundus igitur totum quod solvit, tanquam indebitum repetet, unam dimidiā, quam dum pro eādem parte successit, confusione sustulit; alteram, quod tantundem ex suō peculiō ad fratrem Primum pervenit. Finge etiam, ad Primum ex peculiō Secundi pervenisse duntaxat 30. tum quidem Secundus ex alterā dimidiā 30. repetet, reliqua 20. frater retinebit. Ratio hīc reddenda est de duobus, 1. cur Secundus & alteram dimidiā condicat, si tantum ex ipsius peculiō Primus accepit, 2. cur Secundus ex alterā dimidiā id tantum modò repetat, quantum ex ipsius peculiō ad Primum pervenit.

S. II. Sciendum igitur est, confusionem non tantum contingere acquisitione hereditatis, sed omnibus illis modis, quibus per universitatem res creditoris ac debitoris acquirimus. Nam quia tunc in emolumenta pariter & onera succeditur, fit, ut debitor & creditor in unam personam concurrant, nemo autem sibi ipse obligatus intelligi potest l. 24. §. 3. l. 56. §. 1. l. 71. pr. de fidej. Peculium universitas quedam esse non dubitatur. Sanè ad quemcunque venit, cum omni emolumento & onere venit, l. 29. pr. l. 38. §. ult. de pecul. l. 6. de pecul. leg. l. 1. §. 10. de dot. pral. Et verò onus peculii obligatio est. Huic ergò consequens est, acquisitione peculii confusionem quoque contingere, vid. l. 11. §. 4. de pecul. Quemadmodum igitur Secundus, cui se missis hereditatis paternæ obvenit, pro eā parte emolumenatum æris alieni acquirit: ita ex diverso Primus, dum partem peculii fraternali ex hereditate consequitur, sustine-
re in-

re incipit pro eâ parte peculii onus. Quemadmodum Secundus cum unus esset ex debitoribus hereditariis, per confusione parte obligationis eximitur; ita Primus cum unus esset ex creditoribus peculiaribus, sive potius heres creditoris peculiaris, secum pensasse pro parte & sibi solvisse intelligitur. Quod si Primus obligationem, quam ex hereditate paternâ adversus fratrem Secundum natus erat, acquisitione peculii confudit & extinxit, meritò Secundo & alterius dimidiæ condicione conceditur. Sic enim quod solvit, totum in debitum fuit, obligatione in totum confusionibus sublata. Et hæc est prima hujus rei ratio, paulò postenim adhuc alia interponitur ex Julianō.

§. 12. Alia quæstio est cur Secundus ex alterâ dimidiâ id solummodo repetat, quantum ex ipsius peculio ad primum pervenit. Quemadmodum enim Secundus confusione totam semissim obligationis extinxit, quod pro eâ parte successisset: ita ob eandem rationem Primus confusione alteram semissim in totum extinxisse videri posset, et si non esset tantum peculio adeptus. Et verum quidem est, aditione hereditatis debita pro portionibus hereditariis extingvi, l. 7. C. de neg. gesl. l. 6. C. de ber. act. Secus autem est in confusione, quæ acquisitione peculii contingit. Hæc enim debitum non pro eâ parte, quæ peculium acquisitum est, extinguitur, sed pro eâ quantitate, quæ ex peculio pervenit. Quod restat, ejus aduersus debitorem petitio salva est. Ratio differentiæ videatur esse hæc, quod heres representet personam defuncti, sed is, qui in peculium successit, personam filii non representet. Itaque Secundus cum fratri creditori solvisset, ex alterâ dimidiâ id quidem repetet, quod ex peculio ad fratrem creditorem pervenit, reliquum, quia adhuc debuit, non repetet.

§. 13. Quæ sequuntur de peculio prælegatō & ejus
B deduc-

deductione, pertinent ad confirmationem ejus, quod dictum est, peculium semper cum onere æris alieni, si quod habet, conjunctum venire. Argumentum tale est: Quod obtinet in peculiō prælegatō, illud etiam obtinere debet in peculiō, quod non prælegatum est. Atqui peculio prælegato onus æris alieni cohæret. E. Finge Secundum in peculiō lubeuisse 200. patri autem debuisse tantudem. Secundo peculium à patre prælegatur. Centum ex obligatione patris, dum ei ex semisse heres est, acquiruntur. Non dubium est, quin reliqua 100. quæ ad alterum fratrem per venerunt, ex peculiō deducantur. Peculium enim non nisi deductō eō, quod patri debebatur, intelligitur.

§. 14. Audiamus nunc alteram rationem, quam Africanus ex Julianō affert pro Secundō, ut possit repetere & reliquam dimidiam ejus, quod solvit. Hæc autem eō pertinere videtur, ut ostendatur, si hæc altera dimidia non tanquam indebitum (quod tamen superior ratio satis evincit) possit repeti, posse eam tanquam debitum repeti. Debitum esse exinde intelligitur, quia frater, quicquid post mortem patris solvit ex obligatione, quam olim contraxerat, eō nomine sibi obligatos reddit pro rata coheredes cæteros, ad quos portio peculii sui pervenit. Quod si coheres incipit debere id, quod extraneo creditori solutum est, ergo igitur etiam id debet & longè magis, quod ipsi tanquam creditori solutum est. Argumentatur autem JCTus ita: Quem quis adversus extraneum defendere debet, eum multò magis à se defendere debet. Atqui frater fratrem coheredem adversus extraneum creditorem defendere & indemnum præstare debet, restituendō sc. id, quod creditori debitum ac solutum fuit. Ergo multò magis restituere debet fratri coheredi, quod sibi ab hoc solutum est.

§. 15. Ad probationem Majoris facit, l. 3. C. de reb.

atq.

al. non alien. Minor in textu probatur duobus modis. Undò, quod judiciò familiæ erciscundæ tantum à coherede frater recuperet, quantum à coherede creditor actione de peculio consequi potuisset. Altero, quod et si re integrâ i.e. antequam creditor exegerit, judicio familiæ erciscundæ agatur, ita peculium dividendum sit, ut ad quantitatem ejus (scil. quod ad coheredem pervenit) frater indemnus à coherede præstetur, putà ad hoc, ut si creditor exegerit, coheres tantum ex portione suâ contribuat, quantū opus sit. Quod autem coheres tali casu vel restituere vel contribuere teneatur, fluit iterum ex eō, quod peculium onus perpetuò comitetur. Finge igitur, Secundum in peculiō suō habuisse 100, cuidam autem Titio debuisse 80. In divisione hereditatis ad fratrem Primum ex peculiō Secundi perverunt 50. Primus indemnem præstare cogitur fratrem Secundum de 40. Cur? quia creditor Titius tantum à Primo consequi potest actione de peculiō intentatæ ejus debiti nomine, quô ei Secundus est obstrictus.

§. 16. Satis de principiō. Sequentes §. §. parùm aut nihil difficultatis continent. In §. 1. talis casus proponitur: Pater filio 100. credidit. Filius emancipatur, & patri illa 100. solvit. Quarèritur an possit repetere? Resp. Africanus, videndum esse, utrum aliquid ex peculiō filii emancipati apud patrem remanserit, nec ne. Priore casu filium repetitum, posteriori non. Ibi sc. repetit quia retentione peculii confusa est obligatio naturalis, & quia ex iis, quæ modò tradidimus, constat, filium ab eō, ad quem peculium pervenit, posse repetere, quod ex obligatione suâ solvit. Posteriori casu non repetit, quia ejus quod solvit, et si nulla fuisset petitio, non enim civiliter debebatur, tamen obligatio naturalis est, quæ impedit, ut suprà jam dictū est, quò minùs condicō locum inveniat. Naturalem au-

tem obligationem superstitem fuisse post emancipationem, probatur hōc argumentō: Quod pater post emancipationem filii creditoribus agentibus de peculiō (intra annum sc. quia postea hanc actionem intentantes non audiuntur, t. t. qn. ac̄t. de pec. ann.) deducit, id debitum adhuc fuisse oportet. Atqui quod olim mutuavit filio, à creditoribus peculiaribus conventus pater post emancipationem filii deducit. E. id adhuc debitum fuisse oportet emancipatō filiō. Omnia satis clara & manifesta. Nec ulla fortē appetat dubitandi ratio, prāterquam quōd mortuo filio naturalis obligatio extingvi dicatur in l. 18. ad SCtum Mac. l. ii. de fidej.

§. 17. In §. 2. contrarius casus proponitur: Filius patri mutuo dedit 100. pater filium ex potestate dimittit, & postea ei centum illa solvit. Qv. an possit repetere? Resp. quōd non, quia & hic naturalis obligatio ad huc subfuit, nec emancipatione exspiravit. Idq; eōdem, quōd antecedentis casus decisio, argumentō probatur: Quæ obligatio in peculiō computatur, eam adhuc existere oportet. Atqui obligatio patris in peculiō computatur, i.e. si creditores extranei intra annum de peculiō agunt, etiam id, quod pater filio debuit, computare habent. E. Quod de patre solvente dictum est, illud etiam bona ratione extenditur ad heredem patris extraneum, qui filio exheredato solvit, quod pater filio debuerat. Transire autem naturalem obligationem etiam in heredem extraneum, docet l. 40. pr. l. 64. pr. ad SCt. Treb.

§. 18. In §. 3. casus proponitur, qui cum superioribus nihil commune habet, & omni difficultate caret. Titius à Mævio herede legati nomine fidejussorem accepit, forte quōd legatum in diem vel sub conditione fuit, vel purumquidem, sed quod prāstare heres certis de causis moraba-

RUE.

tur. His enim omnibus casibus heredem ad satisfactionem interim compelli, docet t.t. ut leg. serv. causa cap. Fidejus-
for quantitatem legatam solvit. Postea apparuit legatum
esse indebitum, forte quod conditio defecit. Qv. an fide-
jussor possit repetere. Resp. quod sic, qui enim per errorem
solvit indebitum, repetit.

OBJECTIONES.

s. 1. IN his breves erimus & parci, est enim festinandum
ad finem. Naturalem obligationem aquae accivilem
patri acquiri diximus ad pr. Aliud videtur colligi posse ex
§. 2, nam si filius patri, multo magis frater fratri naturaliter
obligatur. Et cum filius patri credidisset, obligationem
sibi non patri acquisivit. Sed & hoc obstat videtur, quod
naturalis obligatio naturaliter sit intelligenda, h.e. remotis
omnibus juris civilis inventis, atque adeo etiam remotis ju-
re patris potestatis. Sanè hæc Juris peritissimum Hotto-
mannum moverunt, ut textui vim afferret, & in primâ di-
stinctione particularam negativam adderet ac legeret, non
repeti, urum.

s. 2. Primum quod attinet, non negatur, quod fra-
ter fratrem sibi naturaliter obliget, sed illud non concedi-
tur, hanc obligationem naturalem in personâ fratris subsi-
stere, quia statim atque acquisita est, in patrem jure potesta-
tis transmittitur. Et alterum quidem verum est, putâ si
pater cum filio contraxit. Nam & mens contrahentis o-
mnino esse intelligitur, ut filio fiat obligatus, & sicut jus po-
testatis impedit, quo minus obligatio in fratre creditore
subsistat, ita rerum natura non patitur, ut pater filio obli-
getur & ea obligatio patri acquiratur, i. e. pater sui ipse de-
bitor fiat. Certè actus is esset frustraneus. Non aliter ac
per rerum naturam fieri nequit, ut cum dominus servo ob-

ligatur, obligatio domino acquiratur, l. 64. b. t. Denique naturalia non nisi ex jure naturæ estimanda esse, simpliciter assentiri non possumus. Jus civile addit, detrahit juri communii nec per omnia ei servit, l. 6. pr. de J. & J. Facit eam in rem eleganter l. 49. §. ult. de pecul. quæ docet, naturalem obligationem ex causâ civili computandam esse, i. e. ex quâ causâ civilis non teneat, ex eâ nec naturalem tenere. Gothofredi enim interpretatio à mente legis aliena est. Quæ cum ita sint, correctio textus utpote aliâ odiosa merito cessare debet.


§. 3. Disputatur ab eodem Hottomannô, naturalem obligationem acquisitione hereditatis non extingvi. Esto autem, quod naturalis obligatio naturaliter sit dissolvens, arg. l. 35. de R. J. nulla tamen causa est, cur dicamus juris civilis inventum esse, ne qui creditoris heres sit, debitor maneat, h. e. sibi ipse debeat. Quod ille addit pro confirmandâ suâ opinione, Africano tum demum obligationem tolli, cum peculii pars capitur, illud nec orationi nec menti Africani est conveniens.

§. 4. Hæc lex à quibusdam inter fugitivas refertur, quod condictioni indebiti tali casu locus non sit. Solutum enim esse ex errore juris, à fratre ignorantie, quod naturalis obligatio confusionibus sit sublata, qualis error in eâ conditione non attendatur. Itaque hanc legem accipiunt de conditione sine causâ. Vereor ut bene, quod enim tibi unâ viâ prohibetur, ad id alia via admitti non debes, cap. 84. de R. J. in 6to. Denique adhuc sub Judice lis est, an error juris in conditione indebiti non prospicit. Sanè extincta obligatio errore juris non resuscitatur.

§. 5. Iniquè videtur agi cum fratre creditore, cum tantum compellitur restituere, quantum ex peculio fratri debitoris consecutus est. Quid si etiam ex ejus peculiâ aliquid

aliquid ad fratrem debitorem pervenit, nonne hunc cum lucrō, quod ex fratri peculio percepit, pensare debere & quum videtur? Verum enim verō ratio juris hoc ita exigit. Frater debitor particeps sit peculii fratri creditoris, quia sui patris heres est, ad quem peculii proprietas spectavit. Cum fratre creditore onus peculii fratri debitoris communicatur, quia peculium non venit sine onere suō. Non tamen onus sustinet ultra id, quod ad eum ex peculio pervenit. Non igitur magis hoc casu queri potest, quam si post mortem patris peculium suum cum fratre communicare cogitur, etiam cùm frater peculiatus non est.

§. 6. An etiam onus peculii legatarium sequatur, dissensus est inter JCtos. Negat Javolenus in l. 35. de pecul. & Julianus apud Ulpianum in l. 1, §. 10. de dot. prel. Affirmat Coecilius apud Ulp. in l. 1. §. 7. qn act. de pec. ann. Marcius in l. 18. de pec. leg. Illi Cassio addicti fuerunt, l. 2. §. ult. de O. J. Coecilius ad hæsit Proculo, ut apparet ex l. 64. de don. int. V. & u.



COROLLARIA.

1. Obligationes rectē à Dd. distinguuntur in Naturales, Civiles & Mixtas.

2. Malè nonnulli ex veteribus putarunt, omnes obligationes naturales esse, quòd illa, quæ Civilis appellatur, non sit substantia, sed qualitas qualificans naturalem. Utraq; enim est qualitas.

3. Pupilli obligatio naturalis minus plena est, ut & servi, sed filiifam. plena est, quia jure gentium

COROLLARIA.

tium ejus nomine actio competit. Et igitur Neratius in *l. 41. de cond. ind. & Lic.* Rufinus in *l. 59. de O. & A.* de obligatione naturali plenâ accipiendi sunt.

4. Ex pacto nudo utiq; nascitur naturalis obligatio, & quidem plena.

5. Ex nullâ obligatione naturali nascitur actio.

6. Ex donatione patris nascitur naturalis obligatio plena.

7. Sicut etiam ex testamento minus solenni.

8. Emotor, qui infra dimidium læsit, obligatur naturaliter minus plenè.

9. Nulla obligatio naturalis in brutis.

10. Lex civilis naturalem obligationem tollere non potest.


Tantum.

SOLI DEO GLORIA.



AB 52 16
k,29

X 2310673



B.I.G.

Farbkarte #13



N. J.
O INAUGURALIS
AD
À FRATRE XXXIX.
DICT. INDEB.

N. O B I L I S S. J C T O R U M
M I A A D V I A D R U M

Æ S I D E
M A G N I F I C O
M O D E C H E R O

N S V E T . F E U D . P R O F . P U B L .
T I S C O N S U L E
T I S P . T . D E C A N O
O E T P RÆC E P T O R E
C O L E N D O
N S E Q V E N D A

N T I A D O C T O R A L I
T C A N D I D A T . E X A M I N I

P. P.
X. NOVEMB.
L. Q. C.

A
T E L L E R O L I P S .
H I L . M A G .

E R N E S T I Acad. Typog. 1666.